

FACULTAS

Admodum Reverendi P. Provincialis

F. Hyacinthus à Matre Dei, Ordinis Fratrum Beatissimæ
Virg MARIÆ de Monte Carmelo, per Germaniam
superiorem, Ungariam & Bohemiam humilis Prior Provin-
cialis. Authoritate nostra, quā fungimur, tenore presen-
tium facultatem concedimus R. P. Josepho à V. Maria, Pro-
vinciae nostræ Definitori &c. Typis subjiciendi Conciones
suas Dominicales, sub titulo: Die hell-leuchtende Feuer-
Saul ic. modò à duobus Theologis, ad hoc deputatis, revi-
sum & approbatum fuerit, accesseritque consensus aliorum,
ad quos de jure spectat. Datum in Carmelo nostro Bambergensi
die 13. Martii 1706.

F. Hyacinthus ut suprà.

APPROBATIONES THEOLOGORUM.

Cum Reverendissimus, ac perquam Gratosus Dominus,
Dominus JOANNES WERNERUS, Episcopus Dra-
gonensis, Eminentissimi Electoris Moguntini, quā Episcopi
Bambergensis, Suffraganeus, ejusdemque in Spiritualibus
Vicarius Generalis, Collegiatæ Ecclesiae ad S. Stephanum
Proto-Martyrem Bambergæ Decanus &c. mihi infrà nomi-
nando in commissis dederit, quatenus præsens Dominicale
intitulatum: Die Feurige Saulen: ab admodum Reveren-
do,

do, Eximio, & Religioso in Christo Patre Josepho à Virg.
MARIA, Sacri Ordinis Carmelitani, Definitore & Concio-
 natore actuali compositum perlegerem, meamque sententiam
 super præfato Opere inscripto exhibeam. Tenore præsen-
 tium testor, quod prætendum Dominicale diligenter perlege-
 rim, nihilque omnino invenerim, quod vel orthodoxæ fidei,
 vel bonis moribus in minimo possit obesse; imò verò è con-
 trario inveni in eo veluti quoddam instructissimum horreum
 Ægyptio-Josephinum, ad quod omnes animarum Pastores
 pro subditis suis Parochianis frumentum empturientes jure
 merito invitari possent celebri illo dicto Pharaonis Genes. 41.
 Ite ad Joseph. Inventi etiam, quod titulus pollicetur,
 Columnam videlicet pyramidalem, tam sacræ Scripturæ &
 Sandorum Patrum testimoniis, veluti solidissimis basibus
 immobiliter innixam, quam igneo Authoris zelo acrique
 stylo sursum versùs egregiè acuminatam, ut ei proinde per-
 appositiè adaptari possit illud Luc. 12. Ignem veni mit-
 tere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?
 Nimirum Peregrinus Hierosolymo-Jerichuntinus, & Dis-
 mas Latro in Cruce conversus (Libri ab eodem Authore jam
 publici juris facti) ope & adminiculo hujus Dominicalis.
 eò plures deinceps accipient socios spiritualis Curationis &
 fruduoſe pœnitentiæ; siquidem (ut ſpero) hac ipsa columnæ
 duce, plures imposterum anime ex Ægypto hujus mundi
 pertingent ad veram terram promissionis Palæstinae terre-
 stris anti:ypum, nec quidquam eas persequente infernali Pha-
 raone. Typis proinde meritò excudi poterit, si præfato
 Reverendissimo ac perquam Gratioſo Domino Suffraganeo

XXX

sic

sic visum fuerit. Ita censeo è Monte S. Michaelis Archangeli propè Bambergam, Anno 1706. decimo sexto Calendas Aprilis.

P. Gregorius Pfodenauer, Ordinis
S. Benedicti in Monte S. Michaelis
propè Bambergam professus, ante-
hac SS. Theologiæ Lector.

Conciones Dominicale, numero 52. sub titulo: *Hell leuchtende
Zeuer Säul (Quas de Commissione A. R. P. Hyacinthi à Matre
Dei, S. Ord. Carmelitarum, Provinciae Germaniae Superioris
Provincialis actualis studiosè perlegi) Authore R. P. Josepho à Vir-
gine Maria, ejusdem Sacri Ordinis & Provinciae Definitore actu-
ali. Cum in iis nec quid orthodoxæ fidei adversum, nec regulis morum
contrarium deprehenderim, eas p̄cōlō luci dandas dignissimas censeo,
ut luceant sedentibus in tenebris & umbra caliginis Ägyptiacæ per-
versi ac in versi mundi bujus; ne cum Luna ob interpositionem terræ,
id est infinitarum hujus mundi fallaciarum & falsarum deliciarum,
æternam patientur Ecclipsis. Si autem vitiis amicæ sint tenebræ, ini-
micæ erunt criminibus Lucerne, juxta illud: Qui male agit, odit
Lucem; ut igitur vitiorum dispellantur tenebræ, splendeat ac præ-
lueat Columna ignis moraliter splendescens. Ita censeo in Carmelo
Heribolensi ad S. Barbaram die 19. Martii in Festo S. Josephi,
Anno 1706.*

Fr. Spiridion à S. Reinardo S. Ord.
Carmelitarum, Lector Jubilatus & p. t.
Provinciae Germaniae Superioris Defi-
nitor.

Domini-